

DE
CVTE, ET CVTA-
NEIS AFFECTIBVS

ΠΡΟΠΑΙΔΕΥΜΑ,

Sub Præsidio

D. IOHANNIS IESSENI
A IESSEN,

*Publica συζητήσις, ad diem 6. Martii, hora 6.
matut. in Auditorio majori,
defendendum*

M. IOHANNI CÖGELERO
VVURCENSI.



VVITEBERGÆ,

Typis M. Iohannis Cratonis, Anno 1601.

Path. spec.
396,18



Illustri ac Generosissimo Domino,

Dn. ERENERIDO

A MINCKVVITZ, L. B. IN

MINCKVVITZBURGK ET DRENAU,

Sacrae Caesareae Majestatis Consilia-

rio sublimiter aestimando,

Et hujus Filiis

Inclytis ac Generosis Dominis,

Dn. CASPARO MAGNO,

Dn. CAROLO RICHARDO,

Fratribus Germanis & Liberis Baronibus;

Magnis literarum Mœccenatibus, Dominis

**meis ut meritissimis, ita {submissè} {observan-
dissimis,**

Hoc αρωαίδευμα

Solenne debiti honoris monumentum,

perpetuum grati animi documentum,

D. D. D.

Respondens

DE CVTE, ET CVTANEIS AFFECTIBVS

περὶ τὰ ἰδύματα.

I.



Vm, adjuvante Deo, de humani corporis totius affectibus peculiari viâ differere, constitutum nobis sit, ab externis telam hanc ordiri visum est: non solum quòd hi iis, quæ intra corpus contingunt, malis evidentiores, sed quòd externorum quoque morborum cognitio curatioq; ad intestinalium partium submovendam infirmitudinem haud parùm momenti adferat; insuper etiam, quòd per externorum vitia non tantùm unius quandoque vel alterius partis aut totius impediatur operatio, sed simul pulchritudo & decus corporis deturpetur dedecoreturq;. Quo pacto nomine duplici tales existunt molestiæ. Horum igitur affectuum quia subjectum cutis est, de hac hoc loco istud solummodo, quod nostro servit instituto, dicemus.

II.

Cutis Græcis *τέρμα*, idèò quod veluti quidam sit corporis terminus, vel etiam *δέρμα*, quandoquidem vinculi instar sit, undique vinciens corpus & constringens. Cutis verò appellatione non tantùm interiorem ipsius portionem, sed & superficiariã, quæ *ἰνιδέρμης* Græcis, nobis verò cuticula est, & illius quasi efflorescentia, accipio, Gal. 3. Meth. 4. & 14. Meth. 2. sectatus.

A ij

Est

III.

Est cutis, membrum simile, à facultate formatrice & materiâ spermaticâ, cuti proportionatâ, genitû, custodiendarum partium omnium gratiâ. Membrum ideò; quoniam pars vivens infitis & emanantibus potentiis prædita, sanitatis & morbi subjectum. Similare verò, quòd pars ipsius qualibet eandem cû toto habeat definitionem. Causa autē efficiens & materia ex qua, omninò sibi respondeant necesse est, quandoquidem, juxta Philosophum, omne agens non nisi in disposito passo agat, hocq; ab idoneo solum agente patiatur. Demum corporis totius tegumentum est, occasione situs sui; quoniam 2. de usu part. 6. omnium cæterarum partium extrema sit collocata. Platoni magna quædam massa; Hippocrati omnium corporis partium vinculum; nobis omnium membrorum corporis vagina. Munimentum enim & quasi propugnaculum per crassitiam & densitatem evadit. Nam juxta Gal. 3. de tuend. valet. 3. tutissimum adversus noxas imminentes externas, ut homo cutem habeat crassam & densam. Quam & ob rem superficies illius, puta cuticula, densior, quòd in hanc primùm causa incurrat externa: Præterea calorem fovet; & demum, quæ noxiam aut operam allatura sunt, docet. Quanquam autem, præter utilitatem, nullam insignem actionem publicam cutis conferat, communibus tamen operationibus haud destituta est, præsertim secundum interiorem ipsius partem, (nam quoad superficiem omni caret actione) Cum enim nutriatur, coquere & alterare alimentum necesse est: insuper tactus sensu afficitur.

IV.

Per suum tamen situm cutis multis obnoxia est
offensionibus, dum partim ea, quæ nos circumstant,
partim

partim verò, quæ intra corpus abundant, excipit; licet non (quod tamen aliqui perperam existimant) ob hunc situm imbecillior reddatur, siquidem alatur, & tactus objecta exactè dijudicet, quæ optimæ notæ sunt temperici; sed Galeno imbecillior cutis, ex collatione ipsius expultricis facultatis robore ad ceterarum partiù, censetur. Quantò enim vasa, cordi & jecori proximiora, plus caloris influentis capiunt, & majores transversas fibras obtinent, tantò ad agendum & propellendum plus virium, quàm mediocres & ultimæ, possident.

V.

Cæterum cum ad cutis vitia indaganda plurimum momenti adferat conditionis cutis nativæ notitia, prius hanc intueamur, quò rectum obliqui index sit.

VI.

Genuina cutis constitutio tribus perficitur. Primò substantiæ similis temperatione. 2. Quadam ad organorum speciem compositione. 3. Unitate sive continuitate. Præter hæc dicta, requiruntur & alia, quæ illa necessariò consequuntur; suntq; duñ hæc generum. Quædam quæ illi fieri insunt, veluti sunt communes cutis operationes atq; usus: Quædam verò quæ insunt jam factæ, puta colores, cæteræq; qualitates; quas seorsim expendamus singulas.

VII.

Temperatam cutem esse oportuit exquisiti sensus gratia, unde mediocrem quoque natæ est substantiam, quæ membranam simul carnosamque sapit naturam. Corrigit enim pars illa, quæ membranæ est, carnosæ por-

A iij

tionis

tionis humiditatem, quemadmodum hæc illius rursus
castigat siccitatem; unde æquabilis quædam resultat
mediocritas.

VIII.

Ad compositionem primùm pertinet Magnitudo.
Corporis enim totius magnitudini cutis respondet, cu-
jus veluti quædam fascia est. 2. Numerus: ità ut duplex
cutis sit iis, qui superficiem, cuticulam dictam, à cute se-
parant, quod Galeno & veteribus placuisse video;
quibus ego valdè non repugno. Archangelo Picolomi-
nio tamen, plura cutis genera fingenti, meritò alio in lo-
co contradico. 3. Nexus. Nectitur cutis fronti, mani-
bus, pedibus, item labiis, strictius: cum reliquis verò cor-
poris partibus cohæret paulò laxiùs.

IX.

Ad conformationem pertinent meatus, canales,
figura & superficies. Cutis, cribri instar, innumerabilibus
spiramentis, non tamen sensui obvis, perforata. Conspi-
cui magis sunt aurium, narium, oculorum, oris, penis,
ani, vulvæ meatus. Figura cuti nulla propria est, sed to-
tum corpus æmulatur. Superficies demum, nec aspera,
nec levis nimis, nec dura, nec humida nimium, sed in
mediocritate habet omnia. Sequitur continuitas.

X.

Etsi autem cutis pluribus poris distracta sit, eam
tamen continuitatem habet, quâ contextu perpetuo to-
tum colligat corpus, ob quam etiam communes cutis
operationes unæ dicuntur. Restat de iis, quæ constitu-
tionem consequuntur, verba habere.

Insc

XI.

Insequuntur constitutionem, pili, ungues, visiles, tactilesq; qualitates, & operationes communes: ille in jam facto, hæ in eo quod fit. Sed de cutaneis affectionibus quid?

XII.

Cutaneæ affectiones vel spectant ad cutem, vel ad constitutionem cutis, vel quæ hanc constitutionem consequuntur. Sic temperamentum cutis vitiat intemperies quævis. Compositio turbatur, quoties augetur cutis magnitudo, à tuberculis, verrucis, pustulis; vel quando minuitur ab impetigine, serpigine, tinea; Continuitas dissolvitur à fissuris.

XIII.

Quæ constitutionem cutis consequuntur in eo quod fit, illius operationes existunt, quæ cum partim naturales, partim animales sint, sic etiam distinctas sustinēt læsiones. Et naturalium quidem operationum læsiones eadem sunt affectiones, quæ constitutionem ipsam labefactant. Animalium autem & potissimum sensitivarum vitia sunt pruritus omnes, omnesq; pruriginosæ affectiones.

XIII.

Quæ consequuntur cutis constitutionem in facto esse, sunt pili, ungues, tactiles, visiles & odorabiles quædam qualitates.

XV.

Pilorum vitia sunt vel quo ad substantiam, nempe secundum loca determinata, vel secundum partem absentia, vel eorundem nimius luxus. Item secundum figuram,

A iiij

ram,

ram: Cum nempe crispum nimium vel rigent, aut supini valde implicantur, unde plica nascitur; vel secundum colorem, ut in canitie.

XVI.

Vnguium affectiones sunt illorum casus, aut nimium etiam incrementum &c.

XVII.

Tactilis qualitatis vitia sunt, asperitas cutis & callositas, veluti visibilis qualitatis turpitudine in colore consistit & maculis, non aliter ac odorabilis in foetoribus.

XVIII.

Affectus hi cutanei generaliter expressi, vel connotati sunt vel adsciti; atque utrique, vel totius, vel unius duntaxat corporis partis: atque vel maligni, vel malitiae expertes; quidam graves, quidam leves, quidam mediocres.

XIX.

Verum controversia est, dicendam morbi cutis vitia; quandoquidem illi illis duntaxat corporis partibus competant, quibus agendi munus aliquod conceditur, quod morbus constitutio praeter naturam primo & per se laedat actiones. Iam vero Galenus de causis morborum c. 6. prolixè cutem omnis functionis expertem demonstrat; quo modo igitur morbum patietur? Est cutis solius usus gratia genita. Et quanquam cuti tactus sensus accidat, est hic tamen ipsi cum ceteris partibus communis; propria vero actio nulli communis est: licet vero & ea, quae operationem habent propriam, usum pariter obtineant: diversitas tamen est, quod usus sit partium nihil agentium, actio vero tantum operantium.

tium. Persuasit istud Baptista Montano, cutis vitia, inter verè morbum, integramq; sanitatem, dispositiones quasdam medias constituere: Fernelius hìc effugium quærit supersticiosa distinctione affectuum, in eos, qui contra naturam sunt, & præter naturam. Ad quam classem posteriorem cutis affectus relegat. Differentiæ hujus ergò quibusdam quartum morbi genus, quod in vitio usus consistat, fingere placuit. In quam sententiam Casalpinus, & Comes Montanus inclinare haud obscure videntur. Et ne, quas assumunt, autoritates Galeni repetam, sufficiat recitata argumentatio. Cutis per poros usum toti corpori præstat. Eo igitur vitiatò, nempe constipatâ cute, morbus in usu futurus est. Similiter toti animali venustatem cutis præstat incolumitas; Ergò cutis elegantiam læsâ morbus in usu futurus,

XX.

Sed ad Gal. quod attinet, nusquam, in 14. Methodi libris, morbi in usu mentionem facit. Postea tale morbi genus constituere, in ipsam quoque impingit Philosophiam: quòd usus ex eorum genere sit, quæ ad aliquid dicuntur. Veluti igitur usus, dum integer est, illi famulatur & commodat, ad quod refertur: Sic, cum vitiat, eidem simul parti vitium affert & incommodum. Quare hæc usus læsio, non illius, à qua prodit, partis morbus, sed illius potius, cui famulatur, vel morbus, vel causa futura est. Morbus quidem, si immediatè organi totius operationem lædat, veluti cutis manus pustula, apprehensionem impedit. Causa verò, utputa variolæ in naribus exortæ, obstructionis causæ, olfactum & respirationem lædunt. Galenus etiam quædam horum vitiorum Symptomata vocitat.

Poterat

Poterat autem fortassis res effici explicatio: si cutis duplex instituatur consideratio, totius nempe respectu hominis, & demum propriæ constitutionis. Et primo sanè modo haud morbi nomen merebitur cutis affectio, sed læsio hujusmodi deformitas potius quædam appellanda; siquidem sanitas ad justitiam non offendatur. Eadem verò hæc cutis offensiones, naturali constitutione ipsius cutis considerata, non immeritò morbi & symptomata cutis dicendæ, quòd tum aut unitas, vel intemperies, vel communis aliqua operatio, aut etiam quædam qualitas cutis vitietur. Hæc futurarum disputationum fundamenti loco asserta sint.

F I N I S.



